Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26355
Copyright: Admont, Benediktinerstift

licet dimensiones invicem resistant
[sola] compossibilitas et compossio partium
mutat modum figure ipsius quantitatis
sed non quantitatem nec figuram. Sicut patet in
tunica vel veste exuta et involu-
ta: utrobique remanet quantitas et figura sed
mutatur modus figure. Et similiter in in-
quantitate redacta ad modum stricte in corpore
Christi ex eo quod dimensiones cedunt dimensi-
onibus mutatur modus figure sed non ipsa
figura vel figuratio. Et sic in corpore Christi in
altari remanet sua quantitas propria
et dimensiones mutuo sibi cedentes et
una cum distinctione et ordine et posi-
tione partium propria figura et figuratio corporis
Christi ad salvandam completam rationem
sue individuationis, licet per alium
modum quam prout ipsum corpus Christi est in celo.

[+ sic dicitur v. meta. cetera et capitulo de toto.]
[+ essentiali]

Capiendum autem aliqua-
liter per intellectum. Utrum
possibile vel intelligibile aut in-
telligendum sit corpus Christi prout est in altari
esse uno et eodem tempore unum et idem
numero in diversis locis. Sciendum est quod
sic ponunt Avicenna et abre-
viator suus Algazel in i. Suor.

naturalium tractatu de loco. iiij. sunt proprietates
attribute loco et localitati sive lo-
cali existentie ex quibus tamquam principiis
et radicibus consequuntur ea que
circa locum et existentiam in loco attendun-
tur. Ex quibus causa brevitatis tres
prime hic obmittuntur. Quarta autem que est
quasi primaria causa et ratio tamen precedentium
est quod locus nichil aliud est nisi superficies
corporis continentis et quod solum corpus primo
et per se dicitur esse in loco, materia vero et forma corporis
non sunt locus nec sunt per se in loco sed per accidens,
scilicet per quantitatem ipsius corporis cuius sunt essenti-
ales partes. Cuius probatio est quia corpus
mathematicum intellectum sine materia et forma
sensibili ymaginamur vel intelligimus
in loco esse, cuius causa est quod materia nec forma sed
sola quantitas extensa facit corpus esse
locale et in loco. Ex hac autem proprie-
tate quarta accepta hic ad presens
ut prima sequitur secunda proprietas, quod ex
quo locus est superficies corporis conti-
nentis et unicuique corpori est suus locus pro-
prius, quod locus proprius non maior est corpore
nec corpus maius suo loco proprio, cuius ratio est
quia dimensiones corporis contenti commensu-
rantur dimensionibus corporis continentis.
Ex hac autem secunda proprietate sequitur tertia
quod unum corpus non potest eodem tempore esse in

Capitulum viij. Quod compressio dimensionum non re-
pugnat figure corporis Christi in altari.

Capitulum viiij. Quomodo possibile sit corpus Christi se-
cundum naturam eodem tempore esse in diversis locis.